Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



49.

celebratus est, uti Phil. Seguinus in Cat. SS. Cisterc. testatur. ~~apud~~ Vid. Manriques Annal. ad an. 1159 c. 2 et 3.

45) De eo Martyrologium Romanum ad diem septimam Junii: In Anglia S. Roberti Abbatis Ordinis Cisterciensis. Vid. etiam Henriques ad eandem diem, et Manriques Annal. ad an. 1159 c. 4.

46) Idem auctores, ille ad 9 Augusti, iste ad an. 1160 c. 3.

47) Erat hic tertius Morimundi Abbas, Gualteri successor, et Henrici IV Imp. ~~nepos, Henrici V~~ ex filia, Henrici V ex sorore nepos, Conradi III. frater uterinus, Friderici I patruus, in bonis disciplinis a pueritia educatus, post primi Praepositi obitum in Caenobio Neoburgensi a Patre fundato designatus est Praepositus: unde ad Cistercienses monachos sese contulit, atque in monasterio Morimundi Ordinem professus, mox Parisios apud celebrem scholam illam toto orbe famosam, missus est. Haec Catalogus Abbatum Morimundensium apud Henriquem Menol. ad 7 Sept. Occasionem, qua primo Morimundum intravit, narrat Tabula ad sepulcrum ejus appensa: Cum a patre suo Leopoldo studiorum causa Parisius missus esset, et tempore studii transacto, ad propria redire properaret, in Caenobio Morimundi, ubi hospitandi gratia pernoctaverat, divino igne succensus et corde compunctus, monachum se fecit, cum aliis quindecim, qui secum venerant, selectissimis clericis. Eo igitur tempore, scilicet anno 1126 nonnisi humanioribus literis imbutus, Cisterciensem Ordinem amplexus professusque est, inde postmodum ad severiora studia Parisios remissus. De ejus vita sanctitate et doctrina illustri, agunt omnes, ~~qui sive de Ordinis~~ tum Ordinis Cisterciensis tum Ecclesiae Frisingensis Chronographi. Vid. Meichelbeckius Hist. Fris. sec. V c. 2. Manriques Annal. Cisterc. ad an. 1126, 1127, 1131, 1133, 1137, 1139, 1140, 1145, 1147, 1152, 1153, 1156, 1158, 1159.

/teste Radevico Frising. in Contin. Chronic.